UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ecclesiasticorvm Vita, Moribvs, Officiis Libri Tres

Schevichavius, Gisbertus

Mogvntiae, Anno M.DC.XXI.

Capvt LX. Vigilantiam, Attentionem & precationis pietatem interturbare nititur Sathanas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42349

Visual Library

CAPVT LX.

VIGILANTIAM, ATTENTIONEM & precationis pietatem interturbare nititur Sathanas.

§. QVod si hæc machina irrita cassáque Diabolo ceciderit, neque hominem à statis solitisque precibus avocare potuerit, alteram commolitur machinam, vt precantem hominem ab attentione, à pio in Deum affectu & religione in alias cogitationes curasq; traducat, ejusq; oratio non sit oratio, dum mentis deest attentio.

Quid sit precatio.

§. *Quid est*, inquit *S. Aug. serm.* 230. *de Tempore: oratio, nisi ascensio animæ de terrestribus ad cœlestia, inquisitio superior, inuisibilium desiderium? Et l.* 2. *de serm. Domini in monte. cap,* 7. affirmat non verbis, nos agere debere apud Deum, vt impetremus, quod volumus, sed rebus, quas animo gerimus, & intentione cogitationis cum dilectione pura & simplici affectu. Et post pauca: *Fit ergo in oratione conuersio cordis ad eum, qui semper dare paratus est, si nos capiamus quod dederit. Et B. Ioannes Damasc. l.* 3. *orth. fidei. c.* 24. *Oratio est ascensio mentis ad Deum.* Cum ergo mens aberrat, non est oratio, quantacunq; verba lingua effutiat. *Vera namq; postulatio*, ait *S. Greg. l.* 2. *Mor. c.* 18. *non in oris est vocibus, sed in cogitationibus cordis.*

Dilatà os tuum, & ego implebo illud Psal. 80. vers: 11

Precatio sine attentione & cura non est precatio sed Dei irritatio.

§. Vt itaque versipellis inimicus & cuiusuis doli & fallaciæ architectus dæmon, animum ab oratione abstrahat multa variaq; illi tentamenta & ludibria opponit.

Iocularis ludificator dæmon, vt orationem impediat.

§. Nunc tartareum illum ludionem, orationisque perturbatorem, tragœdiam agentem intueamur. *Auctor est Edinerus Anglus in vita S. Anselmi Cantuarien. Archiep. libr.* 1. *quod Diabolus à S. Anselmi salutaria suadentis consue-*

consuetudine, nunc occulta fraude, nunc manifesta increpatione machinatus sit, homines abstrahere & astruit: Miles erat quidam, Cadulus nomine. Hic quadam vice vigiliis & orationibus Deo intentus, audiuit Diabolum sub voce scutarii sui, (hoc est, scutorum opificis vel custodis) extra Ecclesiam, in qua erat, vociferantem & turbato murmure equos & omnia sua facto hospitio à latronibus iam hinc directa atque abducta esse conquerentem, nec aliquid eorum vlterius recuperandum, nisi citius accurreret. Ad quæ cum ille nequàquam moueretur, maius videlicet damnum deputans orationi cedere, quam sua perdere, dolens Diabolus, se despectum in speciem vrsi demutatus est, & Ecclesiæ per tectum delapsus, ante ipsum præceps corruit, vt horrore saltem & fragore sui casus, virum à cœpto perturbaret. Sed miles immobilis permanet, & monstrum securus irridet. Post quæ de sanctioris vitæ statu consulturus B. Anselmum in itinere aduersam sibi inaudiuit vocem: Cadule, Cadule, quo tendis! Quid te tantopere Priorem illum cogit adire? Hypocrita est, & sua hypocrisi iam multos decepit. Suadeo redeas ne ab eo seducaris. At ille dæmonem loqui cognoscens, & signo sanctæ crucis se muniens hostemque contemnens ad S. Anselmum perrexit & ibidem se religiosæ vitæ tradidit.

Diabolus calumniator S. Anselmum falsissimè criminatur.

Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum Prou. 1 v. 17.

Dæmonum ludificationes.

§. Spectastis infernalem præstigiatorem, precationis ac pietatis hostem, ac turbatorem Diabolum, illius insidias & fraudes cauete, ne ab attentione debita auellamini.

§. Subjungam & aliud non minus illustre exemplum quod est in *Prato spirituali apud Ioannem Moschum cap.* 160. *Cum quadam die sederem in cellula mea, ait senex quidam Eremita, operarerque manibus meis (tenebam autem canistrum & Psalmos repetebam) ecce per fenestram ingressus est, quasi puer Æthiops, & stans coram me saltare cœpit, psallentique mihi dixit: Senex nonnè bene salto? Ego autem nihil respondi. Rursus ait mihi: Non tibi placet hæc saltatio mea? Nihil autem mihi respondenti ait*

Errata in precibus notantur à dæmone.

ait: Ecce putas te, malè senex, magnum aliquid agere, dico tibi, quod & in sexagesimo quinto & in sexagesimo sexto Psalmo errasti. Tunc surgens ego procubui, & ille euanuit. Miserimus saltator dæmon qui præcipiti superbiæ saltu è cœlo in infernum dilapsus est. *Isa.* 14. *vers.* 12. *Luc.* 10. *vers.* 18. libenterq; saltationibus interest & choræis, vt testatur S. *Chrysost. homil.* 57 *ad Antiochenos.* Paruulus est: quia viribus imbecillus, nec nisi volenti nocere potest. Niger est: quia malitia turpissimus & pertinacissimus. Subsultat vtab oratione aberrare & euagari faciat. Errata notat in precibus, vt eos accuset, & calumniam intentet. Submissa & feruenti precatione pellitur & fugatur. *Hoc genus dæmoniorum,* inquit, *Salvator Matt.* 17. *v.* 21. *non eiicitur nisi per orationem & ieiunium.*

Et terroribus & fraudib. B Patriarchã Dominicum orantem perturbare nititur dæmon.

§. *Silentio* hic non prætermittam quam & infestus S. Dominico fuerit malus dæmon precanti. *Theodoricus de Appoldia p.* 3. *in eius vita. cap.* 12. *Nocte quadam ante aram,* ait, *ad preces prostratum, malus dæmon interturbare volens, grandem lapidem è tecto Ecclesiæ deiecit, idq; eo impetu, ut tota Ecclesia eius casu circumsonaret. usque adeò autem capiti eius propinquus fuit, vt ruens caputium eius contingeret. Sed viro Dei nihil se mouente, hostis terribili voce eiulans, cum multa ignominia abscesit. Cernens autem terroribus se illum frangere non posse, illudere ei voluit. Oranti enim post Completorium, in specie fratris* DEVM *obsecrantis ante quoddam altare apparuit, eum fratrem existimans vir* DEI, *signo quodam iussit ire cubitum. Ille caput inclinans abiit. Postea vir sanctus monuit fratres, ne quis post ullum signum in templo permaneret. At ille commentitius fictusq; frater semel atque iterum orare se simulauit. Accesit ergo ad eum vir Dei & ait: quæ est ista inobedientia, quod iam tertio facis, quod ego volui, ne quisquam faceret? Tum ille nequissimus cachinnum sustollens. Effeci certè,* inquit, *vt silentium frangeres. Cui vir sanctus: Noli* ait, *miser lætitia efferri ex re nihil tibi profutura,*

Dominus protector vita mea, à quo trepidabo Psal. 26. *vers.* 1.

Quod virib. non potest, fraudib. tentat Diabolus. simul leo & serpens.

ego

Ego possum silentium relaxare & loqui, vbi mihi visum est expedire, ecce quanta astutia Sanctorum, etiam precibus impedimenta injicit pessimus veterator Diabolus.

§. Neq; animi pendere, aut in dubium venire debemus, quin omnia orationis præsertim debitæ impedimenta ferè sint Diaboli tentamenta, ac proinde si manus turbamq; dæmoni tanquam victori dare nolumus, sicut nolle debemus, attentissimo semper religiosissimoq; in precibus animo perseueremus, & superabimus; qui enim dedit, & dabit victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum, 1. *Cor.* 15. *v.* 57. *vt super aspidem & basiliscum ambulemus & conculcemus leonem & draconem Psalm.* 90. *Vos ex Deo estis filioli, & vicistis eum* ait *S. Ioannes* 1. *ep.* 4. *v.* 4. *quia maior est; qui in vobis quam qui in mundo est.*

Omnia à debita precatione plerunq; dæmonis est tentatio.

Ab exercituum Domino victoria.

§. Habetur in libro *sententiarum Patrum* §. 39. *& lib. exempl. dist.* 2. *c.* 49. Dæmon specie Monachi S. Macario se videndum præbuit, affirmauitque nullam Monachorum congregationem sine illis celebrari. Itaq; vir sanctus Ecclesiam ingressus conspexit undiq; per eam paruulos Æthiopes quasi volitãdo discurrere, & precantibus fratrib. atque psallentibus illudere, oculos quibusdam duobus digitis comprimere, qui mox dormitabant, aliisq; digitum in os inserere, qui oscitabant, mulieris speciem, ædificii structuram, & alios labores objicere, circa quorundam ceruices & dorsa ludere, quæ omnia & S. Machario examinanti se animo versasse confessi sunt. Similia tamen ludibria & visa cum nonnullis repræsentarent, statim violenter repulsi sunt & præcipites dejecti, vt nec ante eos consistere aut pertransire auderent, hi nimirum attenti feruentesq; in oratione fuere. Vide & distinct. 3. exemplum 59.

Varia dæmonum illusiones.

§. *Marcellus Abbas Scitiota*, vt est in *Prato Spirituali cap.* 152. de se quasi de alio narrauit, *quod nocte quadam surrexerit, vt Psalmos ex more caneret. Cumq; psallere cœpisset, audiuit vocem buccinæ quasi bellicum clangentis, turbatusque senex cogitabat dicens: vnde hoc in loco vox buccinæ perstrepit. Milites hic non sunt, bellum hinc abest: & cum ista secum volueret, dæmon propè illum veniens dixit ei: Vtique bellum est. Si ergo oppugnari & repugnare vis, vade, dormi, & non oppugnaberis. Dixit iterum senex: Credite mihi filioli nihil ita perturbat, & concitat, & irritat, & vulnerat, & perdit, atq; contristat, & contra nos commouet dæmones, ipsumq; perditionis auctorem Satanam, sicut perpetua Psalmorum, meditatio.*

Oratio dæmonis afflictio.

§. Cernimus antiquissimum Ecclesiæ institutum canendique Psalmos ac diuinas laudes morem, hanc etiam pietatem pro virili suis technis & machinamentis interturbare, & cum illud officium nocte siue mane celebrandum est, dæmonem suadere somnum, cujus consilium fallax semper & pernicio sum est, & eum maleuolentissimum Dei laudatione ac Psalmorum recitatione torqueri & discruciari.

CAP. LXI.

NOSTRÆ NATVRÆ IMBECILLITATE AD MENTIS EVAGATIONEM ABUTITUR DÆMON.

§. EO autem pessimus genius ab animaduersione quid precetur facilius hominis animum auocat, quo vitiata natura ad omnem à pio opere, & præsertim deprecatione, aberrationem & euagationem procliuior est, vt vix, ac ne vix quidem ullus Sanctorum hoc in genere non peccauerit. *Quod enim tàm pertinax Sanctorum studium*, ait *Ioannes Cass. Coll. 23. cap. 7. quod Septies in die cadit iu tam arduum potest esse propositum, cui non aliquando ille versus, Prou. 24. vers. 16. Sutus insidiator illudat? Quis ita solitudinis secreta sectatus vniuer-*